



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Ferdinando III. Cæsari Avgvsto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

# FERDINANDO III. CÆSARI AVGVSTO.

**S**anctorum sedem, Imperatorum opus, Imperij Domum defendo, *Auguste Cæsar, Ablatiam, inquam, Imperialem Sancti Maximini, in qua tot Sancti Martyres, Confessores, Archiepiscopi, Prælati, inde à primo Ecclesiæ Christianæ exordio tumulati, tantis prodigijs claruerunt; quam primus Imperator Christianus Constantinus Magnus condidit, consequentes verò omnes Imperatores & Reges auxerunt, conseruarunt & defenderunt; quam omnium Sæculorum & Ætatum monumenta, specialem esse & semper fuisse Imperij Cameram seu Domicilium altâ voce testantur. Huius tam illustris & memorabilis loci defensio sub nullius alterius, quàm Sacræ Maiestatis Tuae auspicijs in publicum debuit prodire; siue, quod sine Tuo nomine & triumphantis dextera præsidio, elanguida futura est omnis illa mea scriptoria verborum propugnatio; siue quod Tuum sit, & quidem unice Tuum, hoc perturbato sæculo, res Imperij, in quibus hoc quoque Monasterium comprehenditur, tueri, erigere, augere; Etiam aliud ad S. Maiestatem Tuam, defensionem hanc Iure cogit deferri, quod Magnorum & Sanctorum omnium Imperatorum in sacra hac domo erigendâ, conseruandâ, & defendendâ desudârit pia sollicitudo. Constantinus Magnus eam condidit, Carolus Magnus decreto suo munivit, Otto Magnus sententia solemnâ Ius eius stabilivit, ut de Henrico Sancto, Rudolpho I. Maximiliano I. Carolo V. magnis illis nominibus taceam, quorum, uti & cæterorum fere omnium Imperatorum & Regum, Sententias, Decreta, Diplomata & Priuilegia oculis S. Maiestatis*

Tuæ exhibeo. Quæ omnia ut deessent, cogeret tamen me ad pedes  
*S. Maiestatis Tuæ* cum hoc opere deuolui, *Diuæ recorda-*  
*tionis Ferdinandus II. Cæsar, Pius, Fœlix, Augustus Pater*  
*Tuus, Magnis illis & verè sanctis merito annumerandus, &*  
*ob rerum gestarum gloriam, & ob summæ pietatis laudem. Cuius*  
*excelsus animus aduersus tot molimina & artes, pro iustitia in-*  
*concussus stetit, & Abbatiam hanc tot modis oppugnatam, Iuri*  
*suo ac S. R. Imperio integram illibatamque conseruauit. Id tot*  
*eius Diplomata, Mandata, ac tandem Sententia hîc exhibita*  
*testantur, quæ à tanti Principis manu Viennæ ipsemet pro*  
*Monasterij statu tuendo excepi. Tantis igitur nominibus Tibi*  
*debitam Abbatie Imperialis Sancti Maximini Defensionem,*  
*atque etiam hereditario ad Te Iure deuolutam, Auguste Cæsar,*  
*clementissimo, quo soles oculo aspice, admitte, amplectere. Aspicient*  
*vicissim Te de Cælo tot Sancti in hoc sacro loco conditi & ille*  
*Regnorum omnium & Romani maxime Protector Imperij*  
*DEVS, qui & Scapulis suis obumbrabit Tibi, & profligabit*  
*hostes Imperij à facie fulgurantis hastæ Tuæ. Quod unâ voce ac*  
*mente de cælo assiduè precantur Fideles subditi Tui ac Vasalli,*  
*Abbas Electus & Conuentus Sancti Maximini, quibus simul*  
*preces adiungit votis innumeris*

*S. Cæs. Maiestatis Tuæ*

*Minimus omnium  
 subiectus & seruus*

Nicolaus Zylleus.

PRÆFA-